4. Applausus quos in ... Wladislaum Sigismundum, cum ... ad capessendum Moschoviae imperium ducens exercitus, Luceoriam ingrederetur ... effudit nobilis iuventus Collegii Luceoriensis Societatis Iesu ...

Cracoviae, in Officina Francisci Cesarii, [po 6 VIII 1617]. 4°.

✠

APPLAVSVS

Quos in deſideratiſſimum Poloniæ & Sueciæ Principem,

SERENISSIMVM

WLADISLAVM SIGISMVNDVM,

Cùm pridie Nonas Maii, feliciſsimis auſpiciis, ad capeſſendum Moſchouiæ Imperium ducens exercitus, Luceoriam ingrederetur; pleno debitæ obſeruantiæ ac deuotionis animo effudit,

NOBILIS IVVENTVS COLlegii Luceorienſis Societatis IESV: Anno M. DC. XVII.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Ceſarij.

SERENISSIMO PRINCIPI

IOANNI CASIMIRO

Diui SIGISMVNDI III. Regis Poloniæ, & M.D.Lith: inuictissimi,

FILIO.

Domino suo clementiss: Felicitatem.

QVæ in aduentu Serenis: Principis WLADISLAI SIGISMVNDI nostra fuerunt studia, Serenis: Princeps, ea typis excusa, Serenitati Vestræ consecrauimus; certâ omnino spe, vt quicquid pro Serenis: Fratre Vestro à nobis factum est, licet illud sit rude ac impolitũ, id omne Serẽ: V. gratum & acce-

ptum arbitraremur. Nam si adamãtina vel preciosissima quæpiã gemma ferreo inclusa annulo, cũ ferro suam dignitatem communicat, ferriq; precium ac æstimationem auget; idem profecto etiam sperandum nobis, quibus ea diuinitus oblata est felicitas, vt Serenis: Principem nostrũ WLADISLAVM SIGISMVNDVM preciosissimã orbis terrarum gemmã, quæ & pondere suo, & precio, & pulchritudine vniuersi mundi regna, & imperia adæquat, incultis carminibus cantaremus: & quod nulla vnquã contiscet posteritas, in Collegio Societ: IESV, raro, sed insigni sum

morum ac sapientissimorum Imperatorum Regumq́;exemplo,ad lectionem nostram semel ac iterũ attentum haberemus. Atque vtinam Musæ etiam nostræ vnâ cum Ser^te V. adolescant, vt Ser^tem V. liceat quoq; nobis ornare olim, & cedrinis literis immortalia Ser^tatis V. ad quæ Deus vocat, & quæ Sacra Regia Maiest.& vniuersa Respublica à Serenitate Vestra expectant, facinora toto mundo celebrare. Deus Opt: Max: Ser^tatem V. seruet quám diutissime florentẽ, atque incolumem. Luceoriæ, 8. Idus Augusti, Anno 1617.

Serenitati Vestræ

Æternùm deuota Nobilis Iuuentus
Collegij Luceorien.Soc: IESV.

PROLOGVS.

VOlinia intuere Sereniſſ: WLADISLAVM SIGISMVNDVM, & in vno Principe, ſummos orbis Reges ac Imperatores venerare. Auſpicato cœlis tibi delabitur Monile, in quod ornandum, plurimarū Gentium ornamenta, veluti omnia mundi flumina in vnum Oceanum præcipiti impetu delabuntur. A Patre SIGISMVNDO III. Pio, Clemente, Felici, Magno, Inclyto Poloniæ ac Sueciæ Rege, duplici ſtemmate coronatur: Suetico & Iagelonio. Sueticum genus ornant veteres inprimis Cimbri, quorum Fulmina vnius Marij Conſulis Româ, non vis, ſed fortuna auertit. Ornant & Gotti, per quos extremum Imperio Romano excidium allatum eſt. Ornant etiam Vandali, Romæ inprimis, tum & omnium Africæ Regnorum inuictiſsimi domitores. Vide ſi non Cimbricum, Gotticum, Vandalicum, in Diuo Rege Sigiſmundo ingenium, qui æmulam Romanæ Moſchouitarum monarchiam, exuſta Regia, multisq; vrbibus & arcibus occupatis, cum Imperatore captiuo toti mundo fecit ludibrium. Huic Suetico generi, Saxonum vetuſtam domum adiūxit Regia Auia, Goſtaui coniunx, atqué originem ad ſummos orbis Cæſares, Henricos, Ottones. Lothari-

um. &.

um. &c. Regi maximo Sigismundo dedit. Stemma Iagelonium à Sarmatis, & Lituanis deductum, ramos suorum Principum longè lateque per Germaniam, Hispaniam, Hungariam, Poloniam, Bohemiam exporrexit, & omnium Christianorum Regnorum insignia fecit sua. Et Suecis, & Iagelonibus Regia cœlis infixa est radix. Nam S. Brigida vidua, & filia eiusdem S. Catharina, nuptijs Eghardi intacta virgo, & coniunx, Regium Sigismundi III. in Suecia est genus. Casimirus verò Angelicus iuuenis omnium est simul, & stirps, & gloria Iagelonum. Tantus ergo WLADISLAO Principi paterni generis est splendor. Haud inferiorem nobilitatem Anna Regina in filium Principem WLADISLAVM transfudit: in qua duæ itidē toto terrarum orbe celeberrimæ coiuerunt familiæ: Austriaca, & Bauarica. Austriacam quidem in altum Imperij culmen euexit pia erga SS. Eucharistiam Religio Rodolphi Comitis ab Habspurg, quæ ipsa gens multis retro sęculis in Anicijs Consulibus illustrissima floruit, & præter innumeros Heroas cœlis inseruit, S. Benedictum cum S. Scholastica, S. Syluiam, S. Gregorium magnum, S. Æmilianam, ac S. Tarsillam. Nunc verò toti terrarum orbi augustum Archiducale germen cœlo terrisque clarissimos Romano Imperio, decem Imperatores dedit, quorum quinque amplissima Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Bosniæ Regna

hære-

hæreditario iure ſuis poſteris quæſierunt. Præter hos, quatuor Hiſpaniarum ac Indiarum Reges Catholici, qui maiori parti orbis imperant, Principum Auſtriacorũ ſunt propago. In eadem Auſtriaca domo nobiliſsimæ Chriſtianorum Principum continuantur familiæ. Gottorum quidem in Hiſpania per Ioannam Aragoniam, quæ ad Pelagium Aſturiæ Regem, Genus Gotticum refert. Piaſtorum verò in Polonia per Cymbarcam Mazouiæ Ducem, Friderici III. Cæſaris matrem, in quo vno domus Auſtriaca, quæ occidere videbatur, in plures iam effloruit familias. Itaque Piaſtorum inſignia in vna Auſtriaca domo viuunt, & de S. Heduigi vidua, & S. Salomæa coniuge, & virgine gloriantur. Et quoniam Piaſtorum Principes multiplici cognatione veteres Hungariæ Reges contingunt, eorum proinde ſunt decora ſanctiſsimi Reges Stephanus, Emericus, & Ladiſlaus: & SS. Reginæ Elizabet, & Kunegundis. quæ genere materno Orientalium Imperatorum Neptis, S. Catharinam V. M. & C. Iulium Cæſarem ſanguine attingebat. Bauariæ verò Principes cognati Auſtriacis magnorum olim Boioariæ Regum ſunt progenies, Henricos duos, quorum prior cum Kunegunde Virgine, & coniuge ſanctimoniâ illuſtris fuit, & Ludouicum V. Romanos Imperatores genuerunt.

Ex hac multarum gentium in vnum commixtione, tale Sereniſsimo Principi nectitur Coronarium.

WLA-

✠

WLADISLAVS SIGISMVNDVS PRINCEPS, IN QVEM VELVTI OCEANVM PRÆCIPVARVM MVNDI GENTIVM FLVMINA COEVNTIA INNVMERIS SESE EFFVNDVNT OSTIIS. CVI GENVS SARMATICVM, LITVANICVM, SVETICVM, CIMBRICVM, GOTTICVM, VANDALICVM, TEVTONICVM, HVNNICVM, GRÆCVM, ROMANVM, TROIANVM, QVI ANTE CONDITVM POLONIÆ REGNVM A MVLTIS SECVLIS EXPECTABATVR DESIDERATISSIMVS REGVM ET IMPERATORVM, NEPOS, PRONEPOS, ABNEPOS. SIGISMVNDI III. POLONIÆ AC SVECIÆ REGIS, ET ANNÆ AVSTRIACÆ REGINÆ FILIVS. CVI HÆREDITARIA VIRTVS IN TERRIS; HÆREDITARIA PROSPERITAS DE COELIS. QVEM CORONANT DIVINA MAIORVM FACTA IN TERRIS; PRO QVO MILITANT DIVORVM COGNATORVM COHORTES DE COELIS. CVI AMPLISSIMVM DEBETVR IMPERIVM IN TERRIS; IN QVEM DIVORVM TVTELARIVM OCVLI INTENTI DE COELIS. QVI POSTQVAM DECREPITVS AVITA REGNA DIV REXERIT, ET PROTEXERIT IN TERRIS; AD AMPLISSIMA TANDEM IMPERIA VOCATVS, ET SVIS MAIORIBVS ADIVNCTVS REGNABIT IN COELIS, PRINCEPS PIISSIMVS, MODESTISSIMVS, SAPIENTISSIMVS.

Demetrius Hulewicz.

APPARATVS

Quo Sereniss: Principem accepit Nobilis Iuuentus Collegij Luceoriensis Societatis IESV.

Portam arcis Luceoriensis, quam Serenissimus Princeps VVLADISLAVS SIGISMVNDVS ingressus est, in vertice ornabant insignia Regalia, supraque eminentior stabat S. Michael Archangelus: habuit tres Inscriptiones, & duo Emblemata.

Prima Inscriptio in arcu portæ.

SERENISSIMO PRINCIPI WLADISLAO SIGISMVNDO, OPTATISSIMO DIVI SIGISMVNDI MAGNI, REGIS POLONIÆ ET SVECIÆ FILIO. AVGVSTISSIMO ROMANORVM IMPERATORVM, ET SVMMORVM TOTIVS CHRISTIANI ORBIS, GERMANIÆ, HISPANIÆ, HVNGARIÆ, POLONIÆ, SVECIÆ, &c. &c. REGVM, NEPOTI, PRONEPOTI, ABNEPOTI. COLLEGIVM LVCEORIENSE SOCIETATIS IESV.

II. Inscriptio ad latus portæ dextrum.

INGREDERE SERENISS. PRINCEPS VVLADISLAE, EXORNET VVOLINIAM TVÆ PRÆSENTIÆ MAIESTAS. VNO ENIM LOQVVNTVR OMNES ORE, TE ILLAM ESSE REGIAM, A MVLTIS EXPETITAM SÆCVLIS

PROGE-

PROGENIEM, QVA POLONI NOMINIS DECVS IN TOTVM CHRISTIANVM ORBEM PORRECTVM, AMPLISSIMOS IMPERII FINES MARI CASPIO CORONET, OCEANO SVETICO IMMERGAT, ET PONTO EVXINO FIRMET.

III. Inſcriptio ad latus portæ ſiniſtrum.

INTVERE INGREDIENS DIVINA REGVM ET CÆSARVM PROPAGO, PRINCEPS VVLADISLAE, LVCEORIAM IN CINERIBVS SQVALIDAM: QVÆ AD INGRESSVM TVVM EXHILARATA, NOVAM QVAM IN SQALORE INDVERE POTVIT HILARITATEM ASSVMIT: ET ANNVENTE CLEMENTIA TVA, CONFISA DEO, PACEM AC SECVRITATEM TE BELLATORE SIBI PERPETVAM POLLICETVR.

EMBLEMA I.

Quintus Fabius Conſul, Dux gratioſus Romanis fuit, ideoq; ad eum concurſus omnium iuniorum factus eſt, pro ſe quiſq; nomina dantium ad bellum. *Ex Liuij libro 10.*

Vincuntur amore Poloni.

Miles amat Fabium, Fabio Duce promptus in hoſtem
Euolat: heu quantum pectora vincis amor?

Consule conspecto currit Romana iuuentus,
Militiæ pro se nomina quisque ferens.
Non stimulis opus est: ò gratia iuncta fauori,
Cuius vel rigidum cor superare nequis?
Delicium gentis, Princeps inuicte, Polonæ,
Cernis quanta cohors ad tua signa volet?
Vix tuus effulsit per Lechica castra maniplus,
Cùm tecum, pro te, prælia quisque parat.
Gratia te gratum fecit: magnetis ad instar,
Quos trahis, hos etiam nonne tenere potes?

Valentinus Tománowicz.

EMBLEMA II.

Philippus Rex Macedonum, videns ab Alexandro adolescente domitum equum Bucephalum ferocem, caput descendentis exosculatus, emissisque lachrymis, dixit: Aliud ô fili tibi par regnum quære, quando te iam Macedonia non capit. *Ex libro 1. Supplement: Curtij.*

Ars an fortuna domandi?

IActet Pellæos ingenti laude triumphos,
Quisquis Mœonio syrmate ludit epos.
Persica magnifici celebret direpta Darii
Castra; Getas domitos Oxydracasque canat.

Bucephalum acceptis domitum memorabo lupatis,
Quem stupuit, vinci sic potuisse, Pater.
Par tibi; quære puer Regnum, fert vota Philippus
Vaticinans: iam Rex prodigiosus eris.
Tollit se arrectum Moschus, quin calcibus auras
Pulsat, & elato pectore crura iacit.
Quis nisi VVLADISLAVS erit, qui frena furenti
Inserat? hæc Lechi cum Patre fata canunt.

Adamus Omieciński.

In eiusdem porta triplici contignatione nobiliores pueri, succedentibus Musicis choris, Serenissimo Principi aduenienti acclamabant.

I.

HVc huc viridi flore iuuentus,
Lauro molles redimita comas,
Propera; magno metra Dynastæ.
Concine, plectro tangito eburno,
Dignas tanto Principe laudes.
Aquilæ candor, spica manipli,
Et regalis gemma coronæ,
Chlamys aurato rutilans ostro,
Magni monstrant signa Monarchæ.

II.

LOrica trilix, clauaque splendens,
Trifido cassis prædita cono,
Phaleratus equus radians auro,
Iunctus lateri fatifer ensis,
Agmina fido sociata Duci,
Verum signant Martis alumnum.

III. Crepet

III.

CRepet optato buccina cantu;
Saliant grato tympana pulſu,
Ærea vaſtis fiſtula bombis
Latè liquidas impleat auras.

IIII.

EQues exuuiis ſæuus in hirtis,
Siue leones, ſeu pantheræ.
Seu maculoſæ tigridis armos
Cinctus: raræ ludicra pugnæ
Simulachra ſuo Duce ſpectante
Edat: laxis promptus habenis
Volet in gyrum:

V.

Modò calcari.
Sonipes ictus, calcibus auras
Feriat primis: modò libratæ
Spargat in hoſtem ſpicula dextræ:
Modò vibratum ſurgat in enſem:
Modò præcipiti compita curſu
Menſus, celeris more ſagittæ,
Ad ſua properet ſigna reuerti.

VI.

O Lux niueo, digna lapillo,
Qua Lucoriam Princeps vrbem,
Cupit aduentu recreare ſuo,
Eſto æternis ſignata notis,
Sis magis annoſo ære perrennis,
Te miretur cana vetuſtas,
Te poſteritas Lechica iactet,
Te conſpicui Marte nepotes,
Lætis tollant ſuper aſtra ſonis.

VII.

IAgelonio ſanguine Princeps
Inclyte, Pyliam vince ſenectam.
Quicquid læto promimus ore,
Noſtris minùs eſt credito votis.
Olim celebres tolle triumphos,
Eripe Moſchis ſceptra ſuperbis.
Mahometano liuida vultu
Caſtra, feroci ſubigas Marte,
Geticas notâ fraude locuſtas,
Celer Euxino mergito ponto.
Sic vbi noſtro reddita Regno
Pax armatâ fuerit dextrâ;
Solii capies ſceptra paterni.

Ab arcis porta ad Eccleſiam Cathedralem, platea pergulis ab vtroque latere ſtructa, Coronis & frequentibus Pyramidibus, ac variorum Emblematum Iconibus adornata, concentu Muſico & nobiliorum puerorum acclamationibus perſonabat.

EMBLEMA I.

Annibal iturus ad vaſtandam Italiam, in quiete vidit iuuenem diuina ſpecie, qui ſe á Ioue diceret Ducem in Italiam Annibali miſsũ; proinde ſequeretur, neq; vſquam à ſe deflecteret oculos. *Ex Liuij libro xxi.*

Hoc duce victor eris.

QVæ mora Iagelloniade? Martemnè ſiniſtrum
Reris, an hoſtiles te tenuere minæ?

En iuuenis pulcher facie demissus Olympo
Te præit, & comitem iam cupit esse suum.
Hunc oculis, hunc mente feras: quæ monstra sequuntur
A tergo, pro te bella cruenta mouent.
Tempestas fauet ipsa tibi: notat edita syluis
Strages, quàm fausto prælia Marte geras.
I properè, Annibale es felicior: hoc fuit omen
Tunc illi, tibi nunc; Dux vtriusque Deus.

Andreas Czerwinsky.

EMBLEMA II.

Inter castra Bruti & Octauiani Augusti Cæsaris, ante ipsam pugnam duæ Aquilæ decertârunt: quarum ea, quæ à parte Bruti fuit, victa est ab ea, quæ fuit à parte Augusti. *Ex vita M. Bruti Autore Plutarcho.*

Felix auspicium pugnæ.

PVgna pares aquilas inter consurgit, & atram
Candida prosternit, præcipitatque solum.
Cæsaris est victrix, Bruti deuicta: cruentum
Moschi cum Lecho Symbologlypton habes.
VVladislae rue in Martis discrimina: belli
En tibi fortunam candida portat auis.
En Moschorum insigne ruit Regnique Ducisque,
Purpureoque putrem sanguine tingit humum.
Auspicii testis niueus color: ille maniplos
Cum decoret, Moschus quid nisi fumus erit?

Andreas Bolbas Rostocki.

EMBLEMA III.

Romani quibus cenſus equeſtris nondum erat, & equi publici nondum aſsignati: Senatum adeunt, factaq; dicendi poteſtate, equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt. *Ex Liuij lib: 5.*

Nunc vltro pugnare decet.

VErus vt horribiles exciuit in vrbe tumultus,
Nec fuit hoſtiles qui ſuperaret opes.
Non eques expectauit equum, quem iure vetuſto
Publica militibus largaque dextra dabat.
Ipſe ſuos inſtrauit equos, ſeſe obtulit vltro,
Et contra Veios promptus in arma ruit.
Miraturque ſtupetque viros cum plebe ſenatus,
Roma pares equites optat ab inde ferat.
Qua te laude feram ſub ſydera Lechica proles,
Quæ vitam patriæ cum Duce læta voues?
Tu Iageloniadæ Mauortia caſtra capeſſis.
Patria victrici iam tibi ſerta parat.
Ne magnas tenui mercede paciſcere laudes,
Gloria victori ſufficere ipſa poteſt.

Chriſtophorus Lukawſky.

EMBLEMA IV.

Craſtinus euocatus Cæſarianus cõtra Pom-

peianos, in acie prima ruens armatus, ita allocutus est suos commilitones: Sequimini me manipulares mei. *Cæs. libro 3. Ciuil.*

Est miles parere paratus.

CRastine quo properas, quo te rapit acer in hostem
Impetus, vt primus pectore tela feras?
Par animis & Marte cohors electa ruentem
Prosequitur: tali milite dignus eras.
O verè veterana phalanx distincta maniplis,
Quam Dux ad mortem se iubet vsque sequi.
VVladislaë, decus Regni, dux inclyte belli,
Tunè Getas contra, primus in arma ruis?
Turcica tunè paras conuellere signa Polono
Milite? tunè acie Moschica sceptra premes?
Eia alacres, sequimurq; Ducem, sequimurq; maniplum:
Dic age, mitte iube, præcipe, præstò sumus.

Paulus Ianczynsky.

EMBLEMA V.

Simandius Ægiptiorum Rex signatus erat leonis specie; hostes in fugam vertens, vt ex eo & animum, & robur, & vigilantiam Regis perspicere liceret. *Ex Pierij Hieroglyphicis de Leone.*

Sic vincitur hostis.

QVi Rex nuper eras, cur nunc geris ora leonis,
Vnguibus hamatis hostica castra fugans?

Displicet

Diſplicet haud humana tibi natura Simandi,
Viribus hac miſtum ſed tegis arte dolum.
Subditus vt Regem, ſic ſentiat eſſe leonem,
Te, quicunque hoſtis non timet eſſe tuus.
Et quæ tam valido non cedant caſtra leoni,
Cuius ab aſpectu flammea mica volat?
Iagelloniade Lechis mitiſſime robur
Prome leoninum, ſi tibi palma placet.
Te Moſchis fortem, & vigilantem ſiſte leonem,
Haud aliter Princeps, victor & eſſe potes.

Matthæus Bartkowſky.

EMBLEMA VI.

Populi Chæronenſes adorabant ſceptrum à Ioue traditum Pelopi per Mercurium, in formam haſtulæ fabricatum. *Ex Pauſania in Bœoticis. & ex Pierio in Acie.*

Fauſti præſagia Regni.

HAſta throno ſolii ſiſtens infixa ſuperbi,
Velleris aurata ſplendet amicta toga.
Scilicet hanc ſupplex gens Chæronenſis adorat,
A Ioue demiſſam cœlitus eſſe putans.
Omen ad imperium Regni, tam nobile ſceptrum,
Romulidas inter Pelopidaſq; fuit.
Vellera VVLADISLAE tibi dat Moſchus, & haſtas,
Vt felix regnes, ſydera voce ferit.
Fortunate nimis Princeps, quem purpura quærit,
Cuius & in dextram voluitur haſta manum.

Petrus Száparowſki.

EMBLEMA VII.

Scipio adoleſcens ſtricto ſuper conſultantium capita gladio, iurauit ſe neque Rempublicam deſerere velle, neque alium ciuem Romanum eam deſerere paſſurum. *Ex. Liuij libr xxii.*

Plus exempla valent.

SCipiadæ Iageloniadem conferte Poloni;
  Credetis miſſum cœlitus eſſe Ducem.
Ille audax Patriæ ſuccurrere penè labanti
  Inſtitit; hic fauſtum porrigit auxilium.
Scipio teſtatur ſuperos mucrone coruſcans,
  Pectore ſe patriam claudere velle ſuam;
VVladislaus opem regno iam pene ruenti
  Spondet, & auſpiciis innouat arma ſuis.
Iurauit Romanus eques dextramque tetendit,
  Et contra Annibalem prælia mouit atrox;
Lechica progenies cum Principe iuncta ſupremo,
  Mordicus in Moſchum tela manuſque parat.
Ambo Duces magni, fortunatiq; Polonis,
  Sed VVladislaus, robore maior erit.

Ioannes Cichnicki.

EMBLEMA VIII.

Verriculum deſolationis ſymbolum itæ fie-

bat,

bat, viri manus ſibi mutuò tenentes quaſi reſtim texunt, occupatiſque terræ quam deſolatam volunt extremis finibus, ita latè extenſi progrediuntur, latentesque paſsim incolas, quaſi venando excipiunt. *Ex Pierio in Retibus.*

Nec rumpes, nec effugies.

NOn iocus eſt, quando ſua laxat brachia miles,
Nectit & è forti retia denſa manu.
Nec lepus hic captandus erit, ceruique fugaces:
Aut lupus innocuam carpere ſuetus ouem.
Hoſtiles manus iſta parat vincire lacertos,
Tam validis capitur gens inimica plagis.
Verriculo (quid Moſche negas?) capiere Polono,
Texitur hæc iugulo firma catena tuo.
Non vis ſponte tuos Lechis ſubmittere faſces,
Ardua compedibus colla premenda dabis.
Vndique Lechiacæ iam te circumdare turmæ
Ecce Iagellonio cum Duce, Moſche parant.
Quid niſi præda manes morti deuota futuræ?
Si pennis fugias; eſt aquila apta ſequi.

Andreas Cierwinſky.

EMBLEMA IX.

Cyrus in ſomnis ſolem ſibi ter apprehendere viſus, cognouit ſe regnaturũ triginta annis.

Ex Pierij Hieroglyphicis de Sole.

Plus vltra.

CYre quid in cassum vires effundis inanes,
Solem te manibus prendere posse putas?
Ter conare, ter aufugiet: tamen impetus audax
Ardua nitenti tangere, prosper erit.
Si ternas vltra decades regnare volebas,
Crebrius ad solem dextra mouenda fuit.
Quàm benè VVladislae tuos hoc Symbolon ausus
Insignes pariter Marte togaque notat?
Sol tibi Moschiacus quoties comprensus Olympo est,
Dum prece, dum votis sydera celsa feris?
Tot regni flauas victor numerabis Aristas;
Hoc tibi solaris lucida sphæra notat.

Albertus Zoránsky.

EMBLEMA X.

Quintus Fabius Pictor legatus oraculo Delphico egressus, iussus est ab Antistite, vt sicut coronatus lauro oraculum adijt, & rem diuinam fecit; ita coronatus rediret, nec ante eam deponeret, quàm Romam peruenisset, eamq; coronam Romæ in ara Apollinis collocaret.

Ex Liuij libro xxiii.

Et in hoc, & cum hoc.

LAurigero Fabii miraris tempora serto
Vernare, huic signo nilnè subesse putas?

Hoc redimitus erat, ſacris altaria donis,
Delphica dum cumulat, dum ſacra vota facit.
Hoc Delphis egreſſus iter dum vertit in vrbem,
Præſulis imperio vertice lætus habet.
Hoc pariter ſacrâ deponit Apollinis æde
Fortunæ referens ſymbola certa ſuæ.
Laurea ſerta tibi data ſunt, virtutis honores,
Dum Iagelòniade Moſchica regna petis.
His ornata geres victricia tempora ramis,
Moſchorum Princeps, dum celèbratus eris.
His Romana (gerens ſceptrum) memor eſto trophæis,
Numina quà terra, quà decorare mari.

Samuel Iáſtkowſky.

EMBLEMA XI.

Alexandri magni vigilantia ſic figurata eſt.

Leonino ſpolio caput indutus ſpectatur Alexā-der, à cuius altera parte, ſimulachrum eſt Iouis ſedentis, læua bacillo innixi, à dextra verò aquila cū hac inſcriptione Αλεξάνδρȣ. *Ex Pier. de Leone.*

Symbola vera Ducis.

O Tumor, & lepido pompa excipienda cachinno,
Pellæus iuuenis cùm metamorphon agit?
Exprimit Alcidem exuuiis animiq; vigore,
Amphitrioniadæ par cupit eſſe Deo.
Hinc Iouis, inde aquilæ ſpecies adiuncta miniſtræ,
Nititur excubias notificare Ducis.

Veriùs hæc Iageloniadem designat imago,
Cui vigilans animus Martis in arma subest.
Huic neque numen abest, nec regni symbolon ales
Regia, quæ Lechis bellica signa notat.
Grammata Atridæis quæ sunt expressa figuris,
Moschiacis cantant vltima fata plagis.

Andreas Zdziarsky.

EMBLEMA XII.

Mago frater Annibalis in Curiæ Carthaginensis vestibulo tres modios annulorum effundit, quos detraxerant Pœni Romanis equitibus ad Cannas cæsis. *Ex Libro XXIII.*

Date vos aut vestra Poloni.

NOn leue pondus habent à rebus verba Magonis,
Milite cùm fratris castra replere cupit.
Tres modios auri (digitos quod mordet in orbem)
Proiicit à spoliis Martia Roma tuis.
Sic animos vrget populi, accenditq; Senatum,
Agmina militibus multiplicare nouis.
Si quando, nunc Leche tuas simul exere vires,
Si sapis Attalicas prodige largus opes.
Vt cadat, aut vires ad prælia Moschus obarmet,
In te stat summæ gloria tanta spei.
Nunc Iageloniadem densatis cinge maniplis,
Hic vir, hic est Lechus, quo duce victor erit.
Moschorum longas facile est numerare ruinas,
Ni tamen obsistis, sunt tibi Lerna mali.

Nicolaus Zegota.

EMBLEMA XIII.

Post famã Cannensis pugnæ, vulgato Trebij sermonibus aduentu Annibalis, Cossani cùm vrbe excessissent, sine certamine tradita vrbs Pœno, præsidiumq́; acceptũ est. *Ex Liu. l. 23.*

O sortem Principe dignam.

Res benè habet, Moschus portarum limina pandit,
Quin & in occursum Principis exit ouans.
Iagelloniadem votis deposcit olympo,
Quod vis non potuit, iam fauor ecce potest.
VVladislae, nihil telis, nihil est opus armis,
Cuncta parata vides, omnia tuta tenes.
Iam regni diadema tibi, iam sceptra feruntur:
Currit in amplexus Moschica turba tuos.
Excita Cossanis taceantur gaudia portis;
Annibal instrato cùm veheretur equo.
Magna Ducis Pœni fuerat, tunc gloria, maior
Sed VVladislai sceptra tenentis erit.

Florianus Zegota.

EMBLEMA XIV.

Hiero Rex Syracusarum misit boni ominis causa Romanis victoriam auream, rogans acciperent eam, tenerent, & haberent propriam ac perpetuam. *Ex Liuij libro XXII.*

Hoc fies

Hoc ties munere victor.

ABnuat hoc quiſquam, quod Martia Roma triumphis
Floruerit, Latias dum tenuaret opes?
Quis Mauorte neget palmam retuliſſe Quirites,
Cùm premerent proprio, barbara regna iugo?
Defuit hoc Romana tibi, ſed defuit vnum,
Pulſus vt Auſoniis Annibal eſſet agris.
Præſtitit Hieronis fauſtum victoria pignus
Aurea, læta ferens omnia Romulidis.
Hanc cape VVLADISLAE tuis dilecte Latinis,
Romano cui ſtat gloria parta polo.
Roma tibi certos celſâ de ſede triumphos
Mittit, victoris nomen & omen habe.

VVenceslaus Iabodyňſky.

EMBLEMA XV.

Aquila cum Dracone pugnante cùm iam ferè ſpiris ſerpentinis opprimeretur, meſſor falce armatus, accurrit: & ſpiram Draconis ſecuit liberauitq; aquilam. *Ex Pierij Hierogl: de Aquila.*

Tu litem finire potes.

LEche vides aquilam ſæuo certare Draconi,
Hoc natura odium, diſſidiumque dedit.
Leche doles aquilam ſpiris plexam eſſe Draconis,
Nodis hanc ſerpens plexuit Herculeis.

Leche times Aquilæ, ne suffocata fatiscat,
Suffocat vinclis hanc Draco Gorgoneis.
Quis medium, quis falce secat per colla Draconem?
Messor amans aquilæ, terga cruenta secat.
Quis reginam auium de faucibus eripit hydræ?
Eripit humanâ messor anhelus ope,
Signa gerens Aquilæ Lechus, Moschusq; Draconis,
Quænam inimicitiæ sint vtriusque, docent.
VVLADISLAE tuis Princeps armate maniplis,
Quid sit opus facto, te monet iste typus.

Stanislaus Ganecky.

EMBLEMA XVI.

Vates Aristander candida lana amictus, corona aurea insignitus, iuxta Alexandrum vehebatur, ostendit supra verticem Alexandri aquilam sublimem volare, cursumq; rectâ dirigere in hostes, quos postea felici prælio confecit. *Plutarchus in Alexandro.*

Omina victorem spondent.

PEllæus spirans Martem, & Darius in armis,
Vrbe sub Arbella prælia sæua gerunt.
Regius interea supra caput adstitit ales,
Feruorem Phæbi temperat Æmathio.
Et quocunque refert in equo vestigia, præstò est,
Non deterretur Marte, cruore, nece.

Nil cures muros, nil contorumq; fragores,
Hostes Cossanos Retaneosque fuga.
Omen habes Iageloniade, ales porrigit alas,
Spondet victorem, iam comitare Ducem.

Abrahamus Alexic.

EMBLEMA XVII.

Ianus bifrons in bicipitem aquilam versus, ab vna parte consitam frugibus Poloniam, ab altera syluis densioribus horridam Moscouiã aspectat.

Regna aspectu vtrinque parata.

DIuidua Ianus facie, quid spectat vtrasque
Partes; quidue suis innuit auspiciis?
Diriguit cultu, fert membra volatilis ales,
Fronte quidem Ianus, cætera factus auis.
Induit alatas per fortia brachia pennas,
Ora birostris habet, corneus vngue micat.
Qui modò Lachiacas ales spectabat ad oras,
Iam nunc & pennis Moschica tesqua tegit.
Iam Sybires petit, & Tueriis exporrigit alas,
VtVVLADISLAVS stringat vtrumq; latus.

Stanislaus Poplawsky.

EMBLEMA XVIII.

Perseus cum Harpe Mercurij, quam dextrâ manu, sinistra Gorgonis caput tenet, ad cuius

aſpectum territus exercitus fugit in ſyluas.
Natal. Com: lib: 7. Cap: 11.

Magnus honos ſudore paratur.

VErtice pennato geminis talaribus horrens
Perſeus, æthereum peruolat altus iter.
Gorgonei portat ſpolium memorabile monſtris,
Fert harpen dextra, defluit inde draco.
Schema docet magnis quæ ſunt patranda Monarchis,
Ne cedant, contra fortius ire parent.
VVLADISLAE paras, qui Marte nouare trophæa,
Surge age, ductoris munia dexter orbi.
Excindas Helices populos ſub ſydere natos,
Qui Tanaimq; bibunt, laus tibi perpes erit.

Nicolaus Palucky.

Plurima alia Poëmata, Odaria, Epigrammata, quæ varijs ordinibus ibidem pendebant, longum fuiſſet ſingula typis mandare. Tranſeunti Sereniſſimo Principi Nobiles pueri eo ordine acclamabant.

I.

Te Deus incolumem ſeruet, tibi militet æther,
Ad nutum ventos, velitis inſtar habe.

II.

Pectore te foueat miles ſociumque Ducemque
Ominibus fauſtis plebs ſuper aſtra vehat.

III.

Sint tibi Diuorum in certamine præſtò phalanges,
Aliger officium deferat armigeri.

IV.

Nocte columna ignis præeat tua caſtra, dieque
A rapido nubes roſcida ſole tegat,

V.

Inuictis profer tua victor Symbola castris,
Dextrâ aquila, ast læuâ parte maniplus eat.

VI.

Viue potens, felix gnarus iam vincere victor,
Nescius & vinci Lechica castra præi.

VII.

Dignus es imperio, dignus diademate regni,
Ipsa tuas optant Lechica sceptra manus.

VIII.

Sigismundiades Dux nobis inclytus: euge
Principe sub tanto gloria nostra redit.

Ad ingressum Ecclesiæ Cathedralis triplex arcus triplicem viam discernenebat. In verticibus arcuum Regalia Serenissimi Principis insignia dependebant. Primo ordine, Regnorum Poloniæ, Sueciæ, & Lituaniæ signa cum hac inscriptione.

Æternent medium regalia signa maniplum,
Ac eadem æternet sceptra maniplus ouans.

Secundo ordine aquila Regalis cum his lematibus.

Ad rostrum.

CLANGORE AD BELLA VOCAT.

Ad alas.

EOAS SE LIBRAT IN ORAS.

Ad pedem dextrum.

HOC PARTA TVEBITVR VNGVE.

Ad sinistrum.

HOC PRÆDABITVR HOSTES.

Sub aquila distichon.

Regales meritò Iouis armiger explicat alas,
Moschica vult pennis regna operire suis.

Tertio ordine Regalis manipulus & ſupra aquila cum hac inſcriptione.

INTEGER HOC CVSTODE MANIPLVS,

A dextra parte manipuli lemmata duo.

NON METVENDA FAMES.
VBERTAS HIC CERTA SOLI.

A ſiniſtra.

VALIDE HINC AD PRÆLIA VIRES.
MESSEM SPERATE POLONI.

Sub manipulo diſtichon.

Sparſa tot huic Princeps vni inſere Regna maniplo,
Quot tibi ſub gemino fixa Trione patent.

Ad ipſum ingreſſum pendebat inſcriptio triplex.

Prima inſcriptio in fronte arcus.

SERENISSIMO PRINCIPI VVLADISLAO, CVI DIVVM GENVS MAGNORVM REGVM ET CÆSARVM, AVSPICE DEO, DEDIT AMPLISSIMORVM IMPERIORVM PRINCIPEM NASCI; ANIMVM VERO FECIT, VT NIHIL ITA SIT ALTVM IN TERRIS, QVO ASCENDERE NON POSSIT: NIHIL TAM FIRMVM, QVOD EXPVGNARE NON VALEAT. COLLEGIVM LVCEORIENSE SOCIETATIS IESV.

Ad latus portæ dextrum altera inſcriptio.

PROGREDERE AVGVSTA DIVORVM REGVM PROGENIES, SERENISSME PRINCEPS VVLADISLAE, ET IBI MILITIÆ TVÆ AVSPiCARE EXORDIA, VBI SARMATI-

CVS HERCVLES BOLESLAVS CHROBRVS INSIGNI CONTRA RVSSOS POTITVS VICTORIA, COLVMNAS FERREAS IMPERII SVI LIMITES IN BORYSTENE EREXIT. VNA OMNIVM VOCE TRIVMPHI TVI LOQVETVR SÆCVLA ILLA COELIS DELAPSA, QVANDO CHRISTIANVS ORBIS GENTES BARBARAS ET INDOMITAS TVAS ESSE AVDIET. SVRGET VETVSTAS AD SVAS IMPOSTERVM ELINGVIS LAVDES: NASCETVR POSTERITAS, QVÆ GLORIAM TIBI SVBIECTAM CONSPICIENS ADMIRABVNDA GLORIABITVR VVLADISLAVM SIGISMVNDI MAGNI FILIVM, ET POSTERIS SPEM SVMMÆ GLORIÆ PRÆBVISSE, ET MAIORES LONGE POST SVOS POSTEROS RELIQVISSE.

Ad latus portæ ſiniſtrum tertia inſcriptio.

INGREDERE FELIX SERENISSIME PRINCEPS VVLADISLAE, OMNIVM PRINCIPVM DECVS, MONILE ET VNIO MVNDI, AMOR, SPES, ET EXPECTATIO REIPVBLICÆ. QVÆ TE VNICVM SVVM COR PROSPERIS FELICITATIS VOTIS PROSEQVITVR. ITA VIVE, VT VINCAS: ITA VINCE, VT REGNES: ITA REGNA VT TRIVMPHES, PARESQ. LVCEM GLORIÆ, TVBAM FAMÆ, MAGNO PATRI TVO SIGISMVNDO GAVDIVM POLONIS TVIS IMMORTALITATEM.

Tum verò ad Cœmeterium Sereniſsimus Princeps progreſſus eſt, vbi nouis iterum acclamationibus nobilium iuuenum acceptus. Tandem ad templum Cathedrale inprimis deſcendit, à Reuerendis Dominis Prælatis & Canonicis, ac vniuerſo Eccl: Cath. Clero in ipſo limine templi ſalutatur per Adm: R. D. Lucam Sobkowiecki Archidiaconum Luceorienſem, qui vt eſt ſingulari vir præditus prudentia, & longo rerum præclarè geſtarum vſu, adeò eleganti, ac diſerta oratione ſua, audientium animos permouit, vt de incolumi Sereniſsimi Principis aduentu plurimum gauderent omnes, hymnumq; Te Deum laudamus, &c. magno pietatis ſenſu ipſo Sereniſſ: Principe ante maius altare flectente decantarent. Itaque poſt gratias Diuinæ maieſtati, tum ab vniuerſo Clero, tum & à populo Luceorienſi pro incolumitate ſuæ Serenitatis perſolutas, ad vicinum templo Epiſcopale palatium Sereniſsimus Princeps deducitur. Interea verò accinentibus Muſicis choris, nouis iterum ſalutationibus & Latinis & Ruthenicis numeroſior iuuentus ſuam Serenitatem eſt proſecuta.

I.

LEchici Titan radiate Regni
Cuius optato recreatur ore,
Fertilis terræ ditio Volinæ,
Scande felici pede, ſcande fauſtam
Belliger arcem.

II.

O noſtræ nitor, ò columna gentis,
O dux inclyte, Principumq; Princeps,
Sidus, gloria, robur, & coloſſus.
Gemma ò pulchrior Indicis lapillis,
Phæacum roſa carpta de roſetis,
Vincis nobile lilium nitore:
Alter Scipio, corculumque Lechis,
Scande ſacratam tibi magne Princeps
Ocyus aulam.

III.

Geſtiat noſtri plaga tota cœli,
Fulgur aurato micet ex olympo,

Phœbus adductis ſtupeat quadrigis,
Igneo flammas iaculatus axe,
Lucido cœli glomerentur orbe,
Vibret arcuatum Meteoron Iris,
Luna formoſis redimita ſtellis,
Hoſpitem lætis recreet choreis.

IV.

VVLADISLAE potens ferire Moſchum,
Iagelloniade ruina Turcæ,
Ingens Tartaricis pauor locuſtis:
VVLADISLAE Ducum iubar ſerenum,
SIGISMVNDIADE coruſca lampas,
Dextro limina noſtra tange paſſu.

V.

Salue Lechiacæ, ſalue ſpes maxima gentis,
Cuius ad introitum Parthica caſtra tremunt.
Cuius fama Voliniacas diffuſa per vrbes,
Hoſtica magnanimum pectus in arma facit.
Ingredere ominibus fauſtis, tibi mœſta Lucoris
Plaudit, in aduentu ſe renouatque tuo.
Vince Getas, Moſchos proſternito, protere Turcas,
Aurea pax nobis te veniente redit.

VI.

VVLADISLAE pater patriæ, qui Martia Marti
Pectora pro Lechicis fersque vouesque focis.
Sume animos, acuaſque iras te Principe dignas,
Nec patere hoſtiles arma ciere manus.
Magnus es aſpectu, fama ſed maior in armis,
Maximus in pugna, victor & vltor eris.

VII.

Iagelloniadum regali ſanguine Princeps,
Edite, lœtificum percipe ſoſpes aue.

Gloria,

Gloria, spes, columen, regnique insigne Poloni,
Coge tuo Turcas subdere sceptra iugo.
Dace ferax, Moldaue furens, Valachique rebelles,
Cingare, cum Serbo, iam trepidate, truci.
Hic, hic vestra potens ferratis colla catenis
Vinciet, æternis compedibusque premet.

VIII.

SIGISMVNDIADE nostri sol maxime Regni,
Discute nimbosi nubila tetra poli.
Pelle procul Scythicas rigido Mauorte locustas,
Et Geticum Euxino gurgite merge pecus.
Iungere velitibus, fidis sociare Polonis,
Ecce tibi præstò sunt, equus, arma, viri.
Iam trepidat Moschæa phalanx, iam Turca pauore
Sternitur, ex animis iam Geta lustra petit.
In te spes vno Lechis: vnum omnia contra
Hostica tela, vnum te patria ipsa vocat.
I confise Deo, Diuis, superumque cohorti
Terra viros, animos dat tibi ab axe Deus.

IX.

Sarmatiæ tutelares, diuique Patroni,
Lechus quos patrio fidus honore colit.
Eia fauete Duci, præsentia numina ferte:
Vos belli comites Dux cupit esse sui.
Ad sua vos Princeps exorat vota frequentes,
Vos Iageloniades ad sua castra vocat.

X.

Adsumus en (aiunt) Princeps ter maximus heros
Victricis capiat symbola certa spei.
Nomine iam nostro vos compellate supremum
Iagelloniadem, viuat Ioque canat.
Præsul Adalbertus tibi se comitem addit eunti;
Vsibus apta aderunt; remus & hasta tuis.

XI.

Te Stanislaus noſtris oriundus in oris,
Antiſtes gladio protegit ipſe ſuo.

XII.

Ducit Moſchiacas te Venceslaus ad arces,
Signaque in hoſtili Lechica figit humo.

XIII.

Firmat VVLADISLAE tuas animatque Phalanges
Florianus cuius Lechide floret honos.

XIV.

En tibi cœleſtes Hyacinthus ſpargit odores.
Moſchica quo peſſum pulſa Mephitis eat.

XV.

In Iageloniaca qui viuit imagine, Diuus
Dux Caſimiriades, cætera Lechiades,
Te ſpeculum ſpectatque ſuum, munitque clientem,
Teque ſua fauſtum proſperitate beat.

XVI.

Koſtka decus Regni, cœleſti nectare plenus,
Gaudet in occurſus approperare tuos.
Lilia fert & amoma tibi, tuus armiger eſſe,
Et cupit, & lateri ſe ſociare tuo.
Hic iuuenis tibi fauſtus erit, pleno accipe Diuum
Pectore, tu Koſtcæ es, ſit quoque Koſtka tuus.

XVII.

Fauſta SIGISMVNDI te ducunt vota parentis,
Auſpiciis genitor te regit ipſe ſuis.

XVIII.

Te clerus ſtudiisque ſuis, votiſque ſecundat,
Moſchica quò fauſto numine ſceptra geras.

XIX.

Vota Senatorum ſucceſſus mille ſecundos
Dant tibi, proſperitas ſplendida maior erit.

XX.

Quæ tibi vota ferunt equites, his vtere victor:
Plus eques ille facit, qui tuus esse studet.

XXI.

Omina te populi ducunt, redduntque beatum,
Quis non cœlestes hac prece speret opes?

Tertia ab Aduentu Serenißimi Principis die, 8. Idus Maij, in Ecclesia Cathedrali ante summi sacri initium, Orator Latinus nomine studiosæ iuuentutis Oratiuncula breui suam Serenitatem salutauit. Huic accessit alius Orator, qui lingua Slauonica in Moschouiam Sereniss: inuitabat. Isti acclamabant, & plures alij pueri Rußi, qui suam etiam Serenitatem piis votis & gratulationibus ad Imperium Moschouiæ capessendum sunt prosecuti. Illa porro quæ Slauonico idiomate dicta sunt ad Serenißimum, cùm edi non poßint ob typorum inopiam, sola oratio quam Latinus Orator habuit, extremum in ordine locum occupabit.

Oratio ad Serenissimum Principem nomine Iuuentutis Collegij Luceoriensis Societatis IESV, habita in Ecclesia Cathedrali.

IN maximis Principibus diuinum illud suspiciunt omnes, Serenissime Princeps, quòd eorum dignitati nihil par a subditis offerri possit; nullique sufficiant sumptus ad exornandam eorum præsentiam, & publicam animorum lætitiam declarandam. Quare si quis tenuem exustæ & calamitosæ vrbis huius apparatum conferat, cum opulentioribus ciuitatibus, illoque metiatur debitam omnium nostrum erga Serenitatem Vestram obseruantiam; iniquus esset,

quiſquis ille, de pia ac propenſa ſubditorum in ſuum Principem voluntate, ad libellam hanc iudicaret. Licet enim exterior facies rerum, ob tenuitatem noſtram, non illam regalem præſeferat magnificentiam; ſtudia tamen animorum, ſummis æque ac infimis paria, in eandem omnes lætitiam trahunt: quando nobis optatiſſima Serenitatis Veſtræ illuxit præſentia, & illa irradiauit Maieſtas, in quam ornandam ſummi totius terrarum orbis Imperatores & Reges, tum verò & vniuerſorum Reipublicæ noſtræ ciuium, & omnium pariter Chriſtianorum vota conſpirârunt. Et quemadmodũ videmus in corpore humano, ad cor, quod eſt vitæ principium, omnes venarum nexus ita coire, vt quæ ſunt per vniuerſi corporis latè diffuſæ membra, eæ in corde parte corporis Principe ſint ſimul colligatæ; ſimile euenit auguſtiſſimis totius Chriſtiani orbis Principibus, quorum diſſitæ inter ſe domus, ita in Serenitate Veſtra coëunt vniuerſæ; vt omnes ſummos Imperiorum ac Regnorum Monarchas, ſanguine Regio & cognatione contingas: quod non minus Serenitati Veſtræ, quàm & illis eſt maximo decori & ornamento. Genus paternum à maximo & piiſſimo Patre SIGISMVNDO, omni memoria antiquius. Nam & Sueciæ Regibus, & Iagelloniæ gentis Principibus plena volumina. Hi olim terrori Scythis, Turcis, Moſchouitis; illi excidio multorum Regnorum, ac vniuerſi penè Romani Imperii in ſuis Gotthis & Vandalis: iſti de S. Brigitta diuinis miraculis inſigni, & filia eius virgine Catharina; illi de S. Caſimiro Serenitatis Veſtræ maioribus, quaſi toti mundo collucentibus ſyderibus gloriantur. Paria ſunt illa Sereniſſimorũ Archiducum Auſtriæ decora, quibus Serenitas Veſtra, nimirũ deſideratiſſimus Magnorum Regum ac Imperatorum Nepos, non minus ad protendendum longè latèque Imperium, quàm ad propagandũ Chriſtianæ religionis, verique Dei cultum, tantam excitaut

ſpem apud omnes & expectationem; vt ſicut Diuus Pater ipſe SIGISMVNDVS, ſuorum anteceſſorum gloriam rerum geſtarum magnitudine, ac nobiliſſimis triumphis lon- gè poſt ſe relinquens, ſuperauit omnes; ita in Serenitate Ve- ſtra vniuerſus terrarum orbis, & paternam ſibi polliceatur gloriam, & Regum ac Imperatorum omnium indubitatam expectet felicitatem. Hoc ominatur animus iſte regius, in Principe Regio, hoc noſtrum omnium poſtulant vota, hoc ſacrificia: quæ tum à viris religioſis toto terrarum orbe, tum ab vniuerſo Regni Poloniæ Clero, pro Serenitate Veſtra, di- uinæ maieſtati offeruntur.

D I X I.

Andreas Czerwinſki.

490